

Q.H.352,9

X 1864129

De amore in patriam

II f
1446

F. A.

Viros literatos,

Qvos Altenburgum habet,
ad

Audiendam

ORATIONEM VALEDI-
CTORIAM
De
PATRIÆ CHARI-
TATE,

Add. XII. Julii A.C. cīo 10c LXIX.

Horis pomeridianis

in

Illustris Scholæ Altenburgensis

Acroaterio Majori

habendam,

Officiosiss. invitat

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS, RECTOR

TYPIIS BAUERFINCLANIS.



ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΠΑΣ
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΛΗΓΕΙΑ
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΛΗΓΕΙΑ
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΛΗΓΕΙΑ

L. C.

S.



Rimas, si à pietate in Deum discedimus, partes jure merito sibi vindicat Amor, vel, ut digniori exprimam vocabulo, pietas, qvâ unusqvisque hominum naturali ductus instinctu ea omnia patriæ exhibet, qvæ hujus status, temporisqve ratio videntur exigere. Patriâ enim salvâ, ac benè constitutâ, qvid qvæso mali Civi potest accidere? Atqve hæc in patriam pietas eâ sese exerere sollet virtute, ut Parentum, uxoris, ac liberorum amorem parvi habeat vir cordatus, modo floreat patria, maneatqve inconcusfa: qvin & ipsam mortem pro patriæ salute subire nullus dubitat, qvi ardentissimo in patriam flagrat amore. Irem hîc per singula, eaqve testimonij ac exemplis confirmarem, si tuâ, L. B. pace liceret; sed licere, solita tua mihi persuadet benevolentia. Et qvidem, qvod genitores concernit, eorum salutem patriæ saluti esse post ponendam, autor est cœlestis in dicendo, Quintilianij ju-

A 2

dicio

dicio vir Cicero, qvando l. m. Offic. in hæc ērumpit
verba: Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere
conabitur pater, silebitne filius? imo verò obsecrabit pa-
trem, ne id faciat: si nihil proficiet, accusabit, minabitur
etiam: ad extremum, si ad perniciem patriæ res spectabit,
salutem anteponet saluti patris. Ejusdem tenoris mo-
nitum est, qvod ex Platonis l. IX. de Rep. allegat
Plutarch. in libro, cai tit. an seni gerenda Resp.
περὶ πτερίς νοῦ μητέρας πρεσβύτερας, νοῦ μάζων διατάξε-
γονίων ἔκα; i. e. patriæ & matris plus int̄e, quām parentes
tui, jus habent. Ad uxorem & liberos transeo, quo-
rum vita ac commoda domestica minime sunt respi-
cienda, si vel liberandæ patriæ qvidam conferre pos-
sint adjumenti, vel cum patriæ detimento eadem
habeantur conjuncta.

Praferre patriam liberis Regem decet,

egregium Agamemnonis, præclari Græcorum Prin-
cipis, est effatum, qvod legitur apud L. Ann. Sene-
cam in Troade v. 330. Et digna, qvæ huc apponantur,
verba judico Lysia, Oratoris Atheniensis, Latinā
donata civitate. At profecto, judices, nunquam cūm pro-
tobis aliquod munus obeundum esset, mecum reputavi,
qvod eō pauperiores relicturus essem liberos? Sed potius, ne
invitus imperata ficerem: neque unquam periculum, qvod
prælio navalī subiturus eram, miseratus sum, aut deplora-
vi; neque memini uxoris ac liberorum meorum, neque
grave existimavi, si vitâ defunctus pro patriâ ipsos orpha-
nos & patre orbos relicturus essem; Sed multo magis, si vi-
ta per dedecus incolumi, mibi & illis opprobria conciliarem.

II-



Illustrabo rem exemplis. Aulus Manlius Torquatus
in bello Gallico proprio non pepercit filio , sed de
eodem sumnum sumsit supplicium , qvod contra e-
dictum patris in hostem pugnaverat; Putabat enim
Torquatus, illō filii facto disciplinam militarem fa-
cile esse collapsuram , qvā vitium faciente patria di-
lecta hostium furori atqve s̄evitiae exponeretur. Si-
mile exemplum refert Salustius in Conjur: Catilin.
de Aulo Fulvio , Senatoris cuiusdam Romani filio ,
qui, qvōd perfidi Catilinæ amplexus esset partes , ex
itinere retractus à parente neci est traditus. Porro
ex illâ in patriam pietate , ceu fonte qvodam limpido ,
prōmanat & ille rivulus , qvod , neglectâ paren-
tum , uxoris ac liberorum salute , ne ipsius vitæ , cuius
tamen usu fructu & conservatione homini nihil est
antiquius , ulla habeatur ratio , sed potius præsentī
animo patriæ amans spiritum ac sanguinem effun-
dere est paratus , dūmmodo morte sua patriæ digni-
tati ac commodis videt esse prospectum. Mortem
pro patriâ præclaram esse fateor , & me vel devovere pro po-
pulo Romano , legionibusq; , vel in medios me immittere hostes
paratus sum , verba erant Lentuli , Legati Romani , ad
exercitum apud Liv. I. IX. Notatu quoque vel maxi-
me digna sunt verba C. Horatii Cons. qvibus cives
ad patriam liberandam adhortatur : *Sumptis , inquit ,*
armis una cum aliis civibus , qui patriam cupiunt incolu-
reus , ibimus bonâ cum spe in prælium , & si quis Deus curat
justa & præclara certamina , hostes superabimus : qvod si
Namen aliquod obstat , nec salvam Remp. vult , non tamen
propterea nos pium patriæ studium reponemus , sed omnium
bonissimam mortem opperemus. Exempla desideras

A 3

eorum



eorum, qui pro patriæ salute fortis occubuerunt. plenæ sunt historicorum paginæ, pleni libri. Ne tamen tibi, L. B. deesse videar, en unum & alterum adducam. Codri Atheniensium Regis factum adhuc hodie celebratur, qvō, ut à Doribus & Peloponnesiis patriam liberaret, veste indutus familiari, in medios se contulit hostes, & mortem spontaneo motu oppetiit. Oraculum enim hoc dederat responsi, tum demum victrices fore Athenas, si Rex esset interfactus. Vid. Cic. Tusc. Qv. I. I. Memorabile quoque est Svertingi Saxonum Dūcis exemplum, qui Frothonem Regem, sub specie amicitiæ, ad convivium in arcem suam invitavit, triclinium incendit, & semet ipsum pro libertate patriæ asferendâ flammis cum eo tradidit consumendum, ut refert insignis Historiæ patriæ Scriptor, Georgius Fabricius I. I. Rer. Memor. Saxon univ. f. I4. Sed, q̄ vid ad antiquiora provoco tempora, cùm nostra sat exemplorum mihi suppeditent. In recenti, ut spero, memoriâ adhuc plerisque hærebit, cùm dilectæ patriæ nostræ non exiguae vultures Romani struerent insidias, qvot Germanorum millia vitam fortiamiserint animo, eo consilio ac fine, ut libertatem, animam fere agentem, patriæ restituerent. Ast manum de tabula. Plura eqvidem de pietate ac charitate patriæ possent affiri, si chartæ id permitteret angustia, nec, qui dicturus est Juvenis, ea omnia in oratione, qvam privatos intra parietes de charitate patriæ conscripsit, prolixius exposuisset. Is autem est

JACOBUS Schinalg / Luccaviensis,

Viri

Viri admodum Reverendi, & Præclarissimi, Dn. M.
Magni Schmaltzii, Archidiaconi h̄ic locorum vigi-
lantissimi ac meritisimi, Adfinis, & Fautoris mei
honoratissimi, filius optimæ spei natu major, q̄i
charitate patriæ exoptatae motus, prævio sva-
visimorum Parentum consensu, animo secum
constituit, inclytam adire Philyream, ut mercibus,
qvæ pietas sunt ac vera eruditio, in illustri illo Mu-
sarum Emporiō improbo comparatis labore, tan-
dem aliqvando in Patriam redeat, eiqve suamdefe-
rat operam. Ante autem qvām Scholæ valedicat
patriæ, in ea, qvam plus simplici vice perorando ex-
ornavit, cathedrâ adhuc semel comparere decrevit,
verba facturus de materia jam nominata, & gratiis,
qvas Patronis, Parentibus ac Præceptoribus persol-
vet, præmissis, ultimum vale illustri nostro Athe-
næo dicturus. Qvibus finitis qvatuor Scholæ nostræ
surgent alumni,

JOHANNES JACOB Fischer / Culnbacensis;
ANDREAS Rose / Ascaniensis Saxo,
GEORGIUS ANDREAS Scherfing / Altenburg.

CHRISTOPHORUS Schade / Sultza Thuringus;

qvi fusis Prop̄emticis Ebr̄atis, Gr̄ecis, Latinis ac
Teutonicis, ligato conceptis sermonē, abiturientem
Symmachum hinc dimittent. Atqve huic actui so-
lemnī hora II. pomeridiana diei crafstini habetur desi-
gnata, qvā ut cives Reip. literariæ, qvos Altenbur-
gum fovet, freqventes confluant, benevoleqve au-
diant

QK77/1446

diant perorantem, est quod enixè peto. Pluribus
de aditu vestrô ac accessu Vos, Musagetæ Optimi,
non sollicitabo verbis, cum eundem præclara pl. Rev.
Dn. M. Schmaltzii, cui deingenuarum virtutum filio
ex animo gratulor, merita facile vobis persva-
deant. Valete. P.P. Altenburgi, d. XI. Julii
A. C. cij loc LXIX.

F I N I S.



bma

